

**Dissertatio inauguralis medica exhibens febrem tertianam intermittentem /
[Heinrich Schmid].**

Contributors

Schmid, Heinrich.

Publication/Creation

Giessen : F. Karger, 1676.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/b7anrkw5>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGU-
RALIS MEDICA

Exhibens

FEBREM
TERTIANAM
INTERMITTENTEM.

Quam

Christo Duce & Auspice Christo

ex

AUTHORITATE ET DECRETO

Amplissimæ & Gratosissimæ

FACULTATIS MEDICÆ

In Illustri

ACADEMIA LUDOVICIANA
PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores, Insignia, Privilegia.
que DOCTORALIA legitime impetrandi
publico ac solenni

Magnifici & Excellentissimi

SENATUS ACADEMICI


Examini submittit


HENRICUS SCHMIDIUS,

Giessensis.

Ad Diem 28. Januar. Anni M. DC. LXXVI.

GISSÆ, Recudebat FRIDERICUS KARGERUS, Acad. Typogr. Ord.





DUCE ET AUSPICE CHRISTO!

PRO OENIVM.

Ignum est notatu quod *Pætus* ad Regem *Artaxerxem* de *Hippocrate* scribit, inter alia his u-tens verbis: *Hic divinâ naturâ, inquit, prædictus est, & ex par-* vis ac vulgaribus ad magna & artificiosa medicinam evexit. Et omnino fatendum est, plurimum operæ ad artem perficiendam *Senem* hunc contulisse; quod si tamen ad *Nos* rediret, & modernorum felicissimam industriam videret, procul dubio ob tantam artis accessionem in summam admirationem raperetur. Quàm enim curiosa sint Medicorum modernorum inventa, illos, qui operam studio medicinæ navant, minimè latet. Subvenit statim memoriæ *Thomas Bartholinus*, quem primum vasorum lymphaticorum inventorem doctior Orbis celebrat; non minus quàm *Warthonum* glandula-

rum totius corporis delineatorem: *Græffius*
 quoque ductus pancreatici, succi que in eo con-
 tenti indagatio plurimum hactenus commenda-
 vit. Quid non præsttit *Astellius*, venarum laetear-
 rum explorator? Quid non *Pecquetus*, & cum
 eo *Jacobus Mentelius* ductus thoracici felicissi-
 mi inventores? Omnibus verò palmam meritò
 præripere videtur ingeniosissimus *Harveus*,
 qui omnium inventorum inventum nobilissi-
 mum, circulationem sc. sanguinis, admirando
 ingenio, nec minus felici industria detexit, poste-
 ritatique reliquit. Quod sanè inventum ut in o-
 mnibus morbis singularem suum habet usum at-
 que commodum, ita & præprimis febrium do-
 ctrinæ plurimum lucis affundit. Massa enim
 sanguinea cum ex diversis portionibus confla-
 ta sit, quarum una vel altera si exaltetur, atque
 à naturâ sua dulci & balsamica degeneret, acris-
 que & fervida prorsus, retorridaque evadat, tunc
 febribus intermittentibus ansa præbetur. Quas
 inter cum tertiana intermittens maximè fre-
 quens sit, plusque habeat in recessu, quam ineru-
 ditum vulgus judicat, proinde eam hâc vice pro
 argumento Disputationis Inauguralis eligere
 placuit. Juva ergò ô summe Deus, facque ut hoc
 exerci-

exercitium in *Divini Tui Nominis* gloriam &
proximi commodum atque salutem vergat,

CAPVT PRIMVM.

Nominis evolutionem exhibet.

MOs obtinuit hactenus in Scholis Medicorum,
ut, si in re ipsius notitiam facilitiore molimine
pervenire velimus, *nominis enucleatio* atq; in-
vestigatio præmittantur. Nam *ἱ ἀγχὴ τῆς παιδεύ-
σεως οὐτῶν ὄρομάτων ἡπικέψις, initium doctrinae est inquisitio
nominum*, Ep. Etet. tom. i. dissertat. Arrian. c. 17. Quapro-
pter à rectæ rationis tramite haud aberraturos nos spera-
mus, si methodo consuetæ insistentes, *nominis enuclea-
tionem statim aggrediamur. Absolvitur autē illa tribus:*

i. *Etymologiâ*, quam Vatii variam, quo ad primam
quidem hujus nominis partem, dare solent. *Quidam à
Februis, Romanorum festo: quidam cum Servio facien-
tes ab hebræo deducunt, hebrim quasi dictam: Thomas Wil-
lisius tr. de febr. ab antiqua voce februo seu purgamento
derivat, quod sanguis fermentans in febribus veluti mu-
stum effervesens à fôrdibus purgetur. Οὐρόφοροι sunt Sen-
nertius & Deusingius. Aliter sentit Martinus Schockius tr.
de fermentatione c. 25. & Franciscus Piens tr. de febr. qui à
ferbeo, quod per antithesin idem sonat ac ferrevo, putat de-
scendere. Hippocrat. à fervore ortum esse vult, ut nomen
πυρετός δοθεται πυρὸς ab igne &c. Et si quæ aliæ aliorum sunt
cogitationes. In alterâ autem nominis parte, ubi febris
nostra tertiana intermitens appellatur, conveniunt o-
mnes, insigniturq; ea isto nomine à tempore inchoationis
& αἰώνιας, non quod trium dierum distantiam com-*

pleteat, sed quod tertio semper die paroxysmi febriles se insequantur.

II. Homonymia. Vox febris sumitur, vel latè, prout tūm variorum affectuum συνδεομένη complectitur, tūm ipe-
ciatim in febb. præcertim intermittentibus illud paroxys-
mi tempus, quo manifestè frigus vel horror, vel rigor de-
prehenditur, denotat; vel strictè prout intemperiem cali-
dam prīmūm in corde excitatam &c. significat.

III. Synonymia. A Paracelso dicitur *Triduana*. Sabinis
audit purgamentum, quod quæ deferbuerunt, pura sint,
vid. Varro 5. L.L. Westfrisiis *Sanguipurgium*, Græcis πυρετός,
quam ab igne & fervore nomenclaturam accepit, ὅταν
θερμαινεται πάντοτε σώμα καλέεται τέτο πυρετός, inquit summus
Præceptor I. de morbis Germanis das Fieber. Non nulli
à contrario, à præcedente horrore vel rigore das falte
Wēhe appellant.

CAPVT SECUNDVM.

Definitionem realem pertractat.

EThæc de ὀνοματολογίᾳ. Nunc ad πραγματολογίαν, ubi
statim *realis* occurrit *definitio*, omnis enim, ut loqui-
tur Eloquentiæ Parens *Cicerolibr. I. de offic.* quæ à ratione
fuscipitur de re aliqua institutio, debet à definitione pro-
ficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur. Et Ari-
stot. poster. analyt. c. 3. ὁ διοισμὸς ἐστι τῆς οὐσίας γνῶσισμός, definitio
est id, quo essentia alicujus rei fit manifesta. Definitur autem
sequentimodo:

Febris tertiana intermittens est intemperies calida è
corde in universum corpus diffusa, ex peculiari massæ sanguini-
neæ diathesi, febrili fermento imprægnata, proveniens tertio
quovis die circuitus accessionis & intermissionis habens, o-
mnesq; ferè actiones lœdens.

Variæ

Variæ dantur autorum opinioneſ de febris eſſentia
atque natura, quas hic recenſere operaे p̄tium eſſe non
judicamus, cum apud Dunc. Liddelium l. i. de febr. abunde
enumeratae reperiantur. Placet verò nobis eam collocare
in intemperie calida è corde in corpus diffusa, quam ad eſſe
probainus I. Ratione, delumpta (1.) ab eſſentialiter omnife-
bri in hærentibus (2.) calore p. n austro, (3.) pulsu naturali cele-
riori. II. Eſſentialiter consequentibus, ut actionibus tūm vi-
talibus, tūm animalibus & naturalibus manifeſtè læfis. Ca-
lor enim nativus in tantam intemperiem eſt mutatus, ut
in extraneam naturam & quaſi igneam, ut loquitur Gale-
nus, abeat, hincque actiones lædat.

CAPVT TERTIVM.

Subiectum investigat.

Sed ut febris hujus natura clarior evadat, agendum ſpe-
cialius eam investigemus, & primò quidem partem in
ea affectam ſive ſubiectum. Eſt autem illud duplex, vel
principale, vel minus principale ſeu adæquatum. Hoc dici-
mus cum Excell. Doctore Wedelio, Praeceptore atque olim
Hospite meo plurimum colendo, primas vias, ventriculum
intestina, melenterium, & præprimis duetum lacteum
chyliferum, pancreas,lienem &c. Haec ſiquidem partes
ſunt quaſi publica corporis ſentina, in quam confluunt, cu-
mulaturque miasma illud febrile, quod postquam à Na-
tura commode ſubigi non potest, cum ſanguine confun-
ditur, atque dehinc, beneficio motus circularis, fonti ſeu
principio caloris nativi communicatur, quò factò, Natu-
ra cum hoſte iſto peregrino in arenam descendit, id, quod
ſibi moleſtiam creat, expulſura; dum verò materiam pec-
cantem expellere conatur, pulſus obſervatur ſolitò cele-
rior.

rior. Illud sive principale statuitur Cor. Nulla enim, inquit Galenus *l. de differ. febr.* febris generari potest, nisi cor primum incalefacat, & *l. de Marasmo c. i.* Totius corporis affectus fieri nequit, nisi animalis principium, cor, affectum fuerit. Hic calor in corde accensus postea in reliquias corporis partes per arterias venasque, promptius tamen per arterias, nisi impediatur, diffunditur. Patet id exemplo à statu naturali de sumpto. Quoties enim cibus benè masticatus in chylum vertitur, qui postea per venas chyliferas, ductumque thoracicum officinæ sanguinis, cordi communicatur, toties una vel altera hora post cibationem elapsâ, citationi motu cor fibratur, pulsusq; suos auget. Quid impedit ergo quin concedamus, tantò majorem observari pulsus mutationem, quantò remotius à statu naturali distat id, quod cor ingreditur.

CAPVT QVARTVM.

Causam immediatam & mediatas proximiores scrutatur.

A Subiecto ad causas devehimur, quarum quam necessaria sit cognitio ad curandos morbos, ne Empirorum more unâ fideliâ omnes dealbare videamus parientes, jam dudum Aristoteles aurea in libr. physic. contenta sententia innuit, in hæc erumpens verba: si quis morborum causas cognoverit, valde potenterit afferre, que corpori commoden, exactè nimur ex contrariis perspectâ morborum naturâ. Et in elegantissimâ sub Præsidio Viri Excellentissimi atque Experientissimi Dn. Dr. Strausii P. P. hæc in Alma Ludoviciana longè laièque famigeratissimi, Praeceptoris, Fau-toris, atque Promotoris mei omni observantia cultu summè de venerandi, nuper habitâ dissertatione de Necessaria morbi cogni-

dus obtinet. Sic anni tempora etiam suum symbolum addunt. Ver enim licet inter anni tempora sit saluberrimum, ut ait Hippocr. sect. 3. aphor. 9. suâ tamen non caret noxâ, dum humores putrescentes in corpore humano movet, cum M. S. confundit, atque ad hujusmodi diathesin febrilem disponit.

(II.) *Cibus & potus quantitate vel qualitate peccantes* somitem huic malo etiam subministrare poterunt. Maxima enim sanitatis pars est, inquit Hippocr. Non satiaricibis. Et vivitur exiguo melius, ceu canit Claudianus. Quamvis autem cibus & potus vitæ nostræ sint stipendia, atque mortalibus esca debeatur, quâ cuncta decet renovando tueri; *quantitate vero si assumantur justo copiose*, indebitèque ingerantur, fermentum ventriculi superant, cruditates corporis adaugent, & pro M. S. varia diathesi mox hanc, mox illam labem inducunt. Non enim satietas, non fames, neq; aliud quicquam, quod Naturæ modum excedit, bonum, inquit Hippocr. aphor. 4. sect. 2. Ratio ne qualitatis autem peccant cibi viscidi, glutinosi, crassi, pisces, caro vitulina, fructus horatii, tanquam ad fermentationem maximè apti, & hujusmodi similia, quæ pravorum humorum apparatus inducendo, febribus anam præbent. Sic Kergerus ex liberaliori esu lactucæ Chylum suis factum crassorem: ab esu verò nasturtii acriorem, observavit. Eadem incommoda & potus inferre potest. Ita vinum multo Sulphure imprægnatum, cerevisia non probè cocta & defæcata, succus recens ex uvis expressus, quem mustum vocamus, aliaque potus genera multis impuritatibus imprægnata, in M. S. turbas excitare, eāq; ad effervescendum aptiorem reddere valent. Non solum verò hæc potulenta qualitate peccantia Naturæ vim interunt, verùm etiam vini generosi usus intempestivus & im-

& immoderatus idem efficit. Cerevisia quoque optimæ notæ, si justo largiori bibatur mensurâ, febrilem dispositionem accelerare valet.

(III.) *Motus & quies* mediocritatis limites excedentes, malum. Exercitia enim corporis validiora, præsertim ab assumptione cibo pleniori instituta, chylus crudior è ventriculo ut justo citius dilabatur, autores existunt, partesque excrementitias hinc cum M. S. per ductum thoracicum confundunt, spiritus magis exagitant, atque in flamas quasi prosilire faciunt. *Quieti* vero qui sedant, vitamque sedentariam transfigunt, impeditam habent transpirationē, unde prohibita fuliginosa excrementsa sanguini communicantur, quæ postmodum noviter accedentem chylum, ut in pejorem conditionem transmutent, satis apra sunt.

(IV.) *Somnus & vigilia* utraque modum excedentia, malum, inquit Hippocr. sect. 2. aphor. 3. & 51. sect. 7. aph. 71. Somnus limites mediocritatis non transgrediens, multa dispensat beneficia: sin vero ei justò diutiùs indulgeamus, corpus hebes & cacochymicū reddit, multorumque pravorum humorū autor existit, qui pro ratione putredini suæ convenienti hanc febrem inducunt. Vigiliae nimiaæ serum dissipant, calorem innatum debilitant, cruditates adaugent, sanguinem rarefaciunt, atque sic omnino forces febribus aperiunt.

(V.) *Excreta & retenta*, si p. n. se habent, etiam suum addunt ἐπιβάλλον μέρος. Sic mensium, vel hæmorrhoidum, vel alterius consuetæ evacuationis suppressiones, obortâ hinc corruptelâ, M. S. inficiunt, atque hinc tales in corpore turbas nullo movent negotio. Ne minus eandem tragediam inducunt omnis genetis excretiones immodiæ. Hæ enim calidis humoribus partim exagitatis, partim calore

calore nativō debilitatō, dispositioni putridæ febrili antifam dare posse omnino existimamus.

(VI.) *Animi pathemata* quid præstare valeant, nemini non notum est, modum quippe si excedunt, uti sunt ira, invidia, tristitia, mæror &c. quæ immediatum in Spiritus habent imperium, corpus valdè alterant. Sic ira sanguinis ex candescientiam promovet, atq; ad nervosas partes protrudit. Et qui sunt biliosi, faciliùs præ aliis hoc male corripiuntur. Quia in omni ira sanguis quasi effervescit atque tumultuatur, & ad partes impetuose fertur.

Prater naturales sunt viscerum intemperies calidae eorumque avtingaξia atque debilitas. Ex obstructione venarum chyliferarum febres ortum ducere posse, narrat Willis *tr. de feb.* & ante laudatus D. Wedelius in *Collegio de febr.*

CAPUT SEXTVM.

Differentias explanat.

Considerationem causarum nunc excipiunt *differen-*
tiae, quæ præcipue desumuntur vel ratione *materiae*,
 vel ratione *complicationis*. Ratione *materiae* alia est exqui-
 sita & propriè dicta tertiana intermittens, alia impropriè
 & spuria. Differunt quoad variam sanguinis diathesin.
 In illa sanguis magis est retorridus & acris, ideo multò
 citius succum chylosum à cruditate versus adustionem
 pervertit. Pro peculiari quoque *materiae* dispositione,
 modoque substantiæ vario, febris hæc vel malignitate
 caret, vel eam conjunctam habet. Quamvis enim ex se &
 sua natura malignitatis expers sit, nihilominus tamen ob
 humorum pravitatem & corruptelam à benignitate Na-
 tura deflectit atque in deterius degenerat.

Tackenius, Svalb, Sylvius, & alii acidum & alcali pro principiis statuentes, constituunt hujus febris differentias pro variis alcali & acidi, & utriusque qualitatum gradibus, ita ut quo major ibi excessus peccat, febris exquisitor producatur.

(II.) *Ratione complicationis: Alia simplex est, alia composita. Simplex quæ simplicem naturam, similemque caloris formam obtinet; seu in qua unus saltem paroxysmus de tertio in tertium diem observatur; composita verò in qua plures obtingunt.*

CAPUT SEPTIMUM.

Signa diagnostica aggreditur.

Quanquam febrem tertianam intermittentem ex data superius definitione aliquantis per cognoscere quis possit, quoniam verò methodica curatio accuratam morbi requirit cognitionem, proinde ut methodo consuetæ insistamus, neque Andabatarum ad morbi non cogniti cognitionem se accingentium more auram ferire videamus, ad diagnosis nos convertimus, siquidem juxta elegantissimam Alexandri Tralliani sententiam, ὅτι θεραπείας πιθάλιον ἐστιν διάγνωσις internotio rectæ curationis fundamentum est. l. 9. cap. 1. Et quod l. 8. c. 9. monet, σάριστα γνώση καὶ θεραπεία, melius cognoscens, melius curat. Tam facilis verò hujus febris definitio non est, atque eam de prædicat Galen. l. 2. de causis symptom. c. 5. & 2. de differentiis febr. c. 3. & 1. ad Glaucon. c. 5. in hac erumpens. Qui ex iis, non primo statim morbi dic agnoscit febrem tertianam exquisitam, fore non asinum Thessalium, sed lapidem, quin lapidem molarem. Plura enim signa cum aliis febribus habet communia, ea propter & multi egregii Medici

9

cognitione ad curandum, id sufficientissimè etiam demonstratur.

Cum autem difficilius sit, *juxta Galen. 2. de differ. febr. c. 11.* earum febrium, quæ per circuitus accessiones faciunt, invenire causam, quam earum, quæ synochæ dicuntur: Eapropter veniam mihi polliceor, si forsitan cuiquam visum fuerit, me in re tam obscura atque tot dissentientibus opinionibus involuta, ob imbecillitatem ingenii, à tramite veritatis aliquantum aberravisse.

Est autem caula vel mediana vel immediata.

Immediata est effervescentia, irritationem sanguinis in ipso corde excitans. Veteres accusarunt bilem putrescentem in venis subcutaneis magis aut minus superficialibus collectam, & de tertio in tertium diem calidam intemperiem accendentem; verum enim vero postquam circulatio sanguinis ab ingeniosissimo Harveo inventa fuit, hæc amplius sententia firmo stare tali nequit.

Chymici febres generari perhibent dum Su'phuti impuro & fœtido mucilaginiæ ac Spiritus Salini Nitrosi permiscentur. Seu quando duo salia maximè activa, nempe acidum & urinosum invicem miscentur, quæ de hinc effervescendo calorem excitant, euinq[ue] vel intensiorē vel remissiorem, prout M.S. in qua fit fermentacionis hicce motus, plus vel minus de particulis oleosis participat. Statis dein temporibus germinare incipit minera Nitrosi Sulphuris, & dum flores erumpunt acetosi, frigidi, coagulatur nonnihil sanguis, & membranæ corporis humani sensiles vellicantur. Ex quarum vellicatione horrores, rigores, oscitationes, pandiculationes, & hujusmodi symptomata plura inducuntur. His denique floribus exhaustis, vapores & spiritus sequuntur Sulphurei seu pingues, qui calorem p.n. & reliqua febris tertianæ

symptomata inducunt, donec omnibus resolutis Naturæ quies concedatur, sed ob recidivæ metum plerumque suspecta.

Causa Media vel proximior est vel remotior. Quod illam attinet, acculanda venit vel ipsa peculiaris M.S. diathesis, quæ pro novæ materiæ morbificæ confusione mox paroxysmum infert, mox verò pro ejus difflatione $\alpha\pi u g e \xi a$ indulget. Oritur verò nova febrilis exacerbatio, quando succi nutritii seu chyli particulæ sanguini confusæ, ob debitæ $\alpha\pi u m a t w \sigma w$; defectum, in materiam fermentativam pervertuntur. Et, cum sanguis ad rurgescentiam saturatus est, illicò insurgit, particularumq; in M.S. contentarum ingens fit exagitatio, donec tandem vel subactæ miscibiles reddantur, aut ex ipsis in subtilitatem redactis, quod heterogeneum est, foras propellatur. Cujus confortio cum sanguis liberatur, sequitur denuo $\alpha\pi u g e \xi a$ & accessionis febrilis intermissio, de quo vid. Willis. tr. de febr. ut & Nobiliß. ante laudatus Wedelius Colleg. de febr. c. de febri tertiana: Priusquam verò ulterius progrediar, sub finem hujus capititis nonnullæ questiones movendæ veniunt (I.) unde eveniat, quod e jussi modi febres non uno absolvantur paroxysmo, sed sèpius recurrent, pluresque insultus febriles habeant?

(II.) Quæ causa, quod accessiones statim periodis, certisq; temporum intervallis redeant, idq; tam certò, ut $\alpha\pi u m a t a$ horologica non exactius?

(III) Quare febrium intermittentium periodi non sunt unius generis & ejusdem distantiar; quin alia quotidie, alia tertio, alia quarto, &c. die reperant?

In questione I. duo sunt attendenda:

(I.) Ipsa febris natura, quæ ita fert: Si enim unicus tantummodo observaretur paroxysmus, tunç nullatenus

typum

typum febris tertianæ exprimeret, sed ephemerae.

(II.) Præsupponendū esse puto, fomitē quendā morbo-
sum radicari in sanguine, qui uno insultu febrili totus ejus-
ci nequit, sed se habet instar fermenti successivè sese mul-
tiplicantis & paroxysmum semper novum inferentis.

Ad II. respondemus: Rationem commodiorem da-
ti vix posse, quam quæ ab æquali mensura & modo, quo
succus alibilis vel potius, uti nobis videtur, chylus, è visce-
ribus sanguini in vasis confluo plerumque suppeditatur.
Quamvis enim tam exactum pondus determinare velle,
res sit difficilima, tamen æqualitatem hic præprimis, tūm
ratione assumptorum, tūm ratione transmissi chyli atten-
dendam esse, ei, cui probabile quid adferre animus est, extra dubium judico.

Ad III. Quod attinet, causam potissimum in diversam
sanguinis constitutionem transferendam putamus, dum
nimirum à debita temperie deflectens, pro particularum
diversitate in diathesin modò acrem, modò acidam, aut
austerā pervertitur; Hinc enim pro dictæ constitutionis
varietate chylus recenter advectus plus aut minus à ma-
turatione desciscit, & in materiam citius aut tardius fer-
mentescere aptam commutatur; quâ de re plura apud lau-
datum Willisum legi poterunt.

CAPUT QUINTVM.

Causas mediatas remotiores considerat.

ENCLATÀ febris tertianæ intermittentis causâ imme-
diatà, mediatisq; proximioribus, ad remotas evolvendas
nunc labor noster dirigitur. Ex autem sunt vel naturales,
vel non naturales, vel preter naturales. Ex naturaliā classe
cū invenit (I.) Temperamentum sanguincum. Hoc quamvis

Naturæ nostræ sit convenientissimum, quamdiu calidum & humidum ritè inter se sunt combinata; quamprimum tamen caliditas prædominatur humiditati, tunc M. S. plus satis acris, fervida ac retorrida fit, succusq; chylosus, qui è comedis crudus infertur, non ritè subigitur & maturatur, sed plutimum ejus in materiam Nitro Sulphuream pervertitur, quâ languinea massa instar cerevisiæ novellæ utribus inclusæ effervescentiam de tertio in tertium diem concipit, videatur *Franc. Pienstr. de febr. c. XI.* Viscerum intemperies etiam suum symbolum conferre potest: Sic calida & sicca hepatis intemperies chylum sensim ita accendunt ac fermentant, ut in biliolas acres & Sulphureas particulas, imò in ipsum febrile fermentum abeant vid. *River. prax. med. libr. XVII. c. 3. de febre intermittente.*

(II.) *Habitus corporis* densus facilè vacillare, integratem suam amittere, sicque multis morbis fores aperire potest: Dum enim fuliginosa excrementa propter impeditam transpirationem foras eliminari nequeunt, particulis, queis abundant, igneis, ad intemperiem febrilem corpus disponere facilimè possunt.

(III.) *Aetas* quoq; nonnihil hic præstat. Quamvis enim hæc febris nulli pareat ætati, Juvenili tamen prætristis insidias struit, quia hac in ætate legitimam vietū rationem parum religiosè observare consuevimus.

(IV.) *Sexum* masculinum præ sequori hoc malo tentari, practicorum est observatio.

(II.) *Ex rebus non naturalibus* haud ultimas ducit

(I.) *Aëris* constitutio calidior. Ea enim pulmones inspiratione dum ingreditur, vel quatenus corporis nostri superficiem ambit & in cutis poros se insinuat, ad excitandam in M. S. intemperiem febilem magnum pondus ob-

Medici in hâc dignoscendâ primo insultus die decipiuntur.

Desumuntur autem signa diagnostica hujus febris
 (I.) δέ τῷ ιντέρτῳ κατὰ τὸν τῆς θείας λόγον ab essentialiter inherenteribus. Ubi (α) occurrit quod quovis die tertio invasione nova affligat (β) quod, ut loquitur Sennertus l. 2. c. XVII. de febr. cum vehementi rigore, carnem quasi pungente incipiat, cuius causam statuimus duplicem; quarum una est ipsa sanguinis circulatio impedita. Cor enim à materia peccante dum obtutum, minus liberè calorem in singulas corporis partes distribuit, unde fit ut juxta Harveum sanguis quasi figatur, vel ut Hippocr. l. de morbis c. 22. vult, coaguletur. Altera est succi nutritii dispositio, prout enim materia chylosa vel actior vel viscidior (quæ à Natura subigi non potest, seu ut loquitur Helmont. l. de febr. quæ non statim fit volabilis & transvolabilis) sanguini accedit, ita etiam in vapores resolvitur, qui dein corpus, & in specie panniculum carnosum vellicant. (γ) quod calor subsequatur multus, acris, & mordax, isque aliquando mitior, aliquando autem vehementior.

(II.) Ab essentialiter consequentibus. Pulsus ingruente paroxysmo parvus, debilis ac tardus, eò verò discussò, mox vehemens, velox, in æqualis observatur, qui in declinatione terè ad statum naturalem reddit. In principio vel augmento paroxysmi oritur vomitus biliosus, in incremento calor adeò auctus adest, ut mordax ac acris deprehendatur. Succedit capitis dolor vehemens, vigiliae, imò sæpe deliria, sitis magna, oris amaritudo, appetitus dejectio, & interdum in epilepticis motus convulsivi. Et sicut vomitus hanc febrem antecedit, ita sudor in fine eam sequitur. Urina in quibusdam est subrufa & subflava, in quibusdam calore saturata & veluti flammæo im-

buta, consistentiae mediocris, contenta interdum adiunt, non unquam vero desunt; ubi mox apparet nubecula, vel enzorema album, febrem arguit brevem, & ultra quartum paroxysmum non progressuram; quae vero haec phænomena conjuncta non habet, & calore rubicundo saturata est, sanguinis asivationem & intemperiem nimis ad ustam innuere videtur, & ad septimum usque circuitum extenditur, si sc. sit legitima, & tunc paroxysmi ordine quodam vel anticipant aut postponunt. Quod si vero paroxysmi eadem horâ invadant, notha est, morbusque longus significatur. *Hippocr. aphor. 3. l. 4. Sennert. Willisius, & Piens. l. c.* Quod si malignitas una latuerit, ea statim in morbi principio supervenient symptomata, quae tum insolenti gravitate, tum jactutâ virium, ultra quam hujus febris alias natura infert, præcipiti, malum morem, ut vocant, hanc obscurè manifestabunt.

CAPUT OCTAVUM.

Signa prognostica examinat.

Generale de febribus intermittentibus prognosticū
Est *Hippocr. 4. aphor. 43.* οἱ πυρετοί ὄνόσαι μὴ διαλείποντες
δέ τε τρίτης ἵχυρότεροι γίνονται, μᾶλλον ἐπικίνδυνοι. Οὐτω, δέ αὖ τρόπῳ
διαλείπονται, συμβαίνει, ὅτι ἀνίσθυνται. Quæcunque febres non
intermittentes tertio die fortiores fiunt, magis periculo-
sæ sunt: Quocunque autem modo intermiscent, pericu-
lum abesse significant. Et i. *Epidem. 8.* quo exquisitor, eo
salutarior est haec febris, necnulla ratione sui lethalis. Hinc
etiam levissima & mitissima dicitur, i. *ad Glaucon. 5.* Et quæ
legitimæ sunt, ut *Hipp. 4. aph. 59.* ait οὐ γίνονται ἐν ἕπεται περιό-
δοισι τὸ μακρότατον, sephenis ad summū circuitibus judican-
tur. Id vero intelligendum est, si nullus error vel ab agro
aut

aut à Medico, qui forsitan fermenti focum negligit, committatur. Nam ut docet Trallianus, si malè curantur, redundunt insanabiles, cuius rei exemplum proponit Galen. I. ad Glaucon. cap. 9. ubi refert quendam depravato judicio balneis usum, extenuato corporis habitu, in tabem lethalem incidisse, videatur & Ludov. Mercatus de febr. c. 6. qui experientia sibi compertum esse ictibit, etiam tertianas nonnunquam periculo non carete, & febres intermitentes inopinatò ægros non paucos è medio sustulisse. Parter id affirmat Riverius prax. med. l. XVII. c. 3. Interdum etiam tertiana epidemica est, quæ nec sexui, nec ætati, nec temperamento ulli parcit, maximè tamen biliosos corripiens, quod observavit Minadous I. de febr. malignis cap. 16. Cui assentit Casp. Hoffman. tr. de febr. c. 56. p. 336. & D. Wed. Collegio de febr. c. de tertiana intermitente. Tertianæ nothæ, inquit Sennert. l. 2. de febr. c. 18. ut sunt frequentiores, ita sunt periculosiores. Intervallum enim plerumque est brevius, unde ægri magis affliguntur; Et exquisita facilius à Natura vinci potest, quam spuria; siquidem in hac bilis & pituitæ commixtio difficilius negotium facessit, ut potè quæ contrariam subministrant indicationem. Bilis enim refrigerantia & humectantia, pituita verò calefacentia & exsiccantia requirit. Id ipsum in Natura etiam contingit, ubi idem calor aptus non est ad subigendam illam febrem materiam, quæ planè est diversæ conditionis & temperiei, quod testantur, Sennert. & Piens l. c. Nec hic nos ferit Galenus 2. prognost. text. 8. inquiens: Pejores affectiones esse, quæ oriuntur ab humore sincero, quam quæ à mixto. Hoc enim intelligendum venit tantum de symptomatibus, quæ mitiora sunt in tertiana notha, quam in purâ, vid. Avicenna c. de tertiana notha. Si urina subflava fuerit & mediocriter crassa, & paulo post vel nebulam al-

bam vel enærema bonum habuerit, quartum non excedit circuitum. Nebula alba certissimum est futuræ criseos indicium, scribit *Hippocr.* aph. 71. l. 4. & *Galen.* 2. de crisis subdit omnium febrium simplicissima est, quæ habet exquisitæ tertianæ indicia, & hypostasin albam, levem & æqualem, hæc enim tertium paroxysmum non transcendet. Labiorum & narium exulteationes febris finem significant 6. *Epidem.* sect. 8. *aphor.* 41. quamvis hoc non temper verum sit, nonnunquam enim cum labiis exulterosis pertinacior etiam resistit, & non nihil contagii vel pravi miasmati subesse in M. S. innuit, quod in corpore solet recrudescere, novosque inferre paroxysmos, mox tamen cessantes. Sic istius febris longitudinem & brevitatem cognoscimus ex accidentibus & paroxysmis. Si primus paroxysmus tertianæ fuerit levior, secundus fortior, tertius adhuc vehementior, quartus in quo status, omniū vehementissimus, & postmodum iterum per gradus remiserit, septimum paroxysmum non transcendet. Sin autem secunda in accessione omnia fuerint fortiora, & in tertio incipiunt remittete, quarto finietur. Sin autem hæc omnia secus se habeant, malum est. *Altimarus* statuit febrem tertianam acutam esse, quod repugnat sententiae *Hippocr.* & *Galen.* Est enim morbus acutus non tantum qui brevis est, & celeriter sua tempora percurrit, sed qui periculosus simul est & gravissima conjuncta habet symptomata, quod tertianæ non competit, quæ in se est securissima & mitissima; sin verò diu duret, facile ægrum ad hydropem, tumorem lienis &c. disponere potest. Breves etiam & securæ solent esse febres intermittentes inquit *River.* l. c. si bonus sit totius corporis habitus; si viscera bene sint affecta; si ver aut ætas adsit; si æger non multo utatur alimento &c. Inedia enim sola non raro corrigit excedens

cedens vitium & febrem tollit, qualia exempla passim occurunt apud autores praticos. Icterus etiam interdum supervenire solet intermittentibus: Hic si accidat die critico, bonus est, sin verò mox in principio superveniat, aut cum malis symptomatibus, malum signum est.

CAPUT NONUM.

Methodum medendi proponit.

PRÆCIPUA MEDICI dignitas cum dependeat à methodica & artificio la medicamentorum applicatione, restat ut perpensis iis, quæ ad cognitionem hujus febris facere possunt, ad curationem rectè instituendam omnes ingenii & artis vires conjungamus & accommodemus. Methodica autem curatio, si citò, tutò, ac jucundè peragi debet, juxta Galen. 2. M. M. 6. 7. indicationibus absolvitur; quarum alia Curatoria, alia Præservatoria, alia vitalis est, quibus singulis conveniens remediiorum materia ex artis præscripto subministranda est, cum non verbis sed herbis cuique istatum latis fiat.

Curatoria igitur morbum auferendum esse admonet, non neglectâ tamen & posthabitâ causâ proximâ, quippe quæ, ut præsentem paroxysmum fovet, ita factâ sui ablatione, imminuit, imò tollit.

Præservatoria, quæ extra paroxysmum peragenda sunt, docet, monetque ut morbi minera extirpetur, & materia febrilis è corpore, absque fomite residuo & recidivæ metu, eradicetur, ne malum sub favillis gliscens latius serpat, tyrannidemque inchoatam ulterius exerceat. *Præservatoria* hæc, licet ratione finis communis, qui est curatio, etiam curatoria dici posset, cum omnia in methodo medendi ad curationem dirigantur; Tamen ratione finis

ne finis proprii peculiare habet nomen, de quo *Sennere.*
Instit. l. 5. p. 2. s. 1. c. 2. de Indicantibus consuli potest. Sympto-
mata in se spectata cum sint res p. n. & non nunquam et-
iam, ob sui vehementiam, causæ rationem induant, mor-
bos augcant, viresque dejicient, non raro sui ablationem
per convenientia remedia indicant. Vitalis denique quæ
à viribus desumitur, non minoris ponderis, immo omnium
*prima, ut inquit *Galen.* 9. M. M. c. 13. est indicatio. Hæce*
nim pro earum tutela sedulas agit excubias, & non solùm
*requirit ut ægri vires tūm per *alimenta* convenientia &*
*zūpæ, verum etiam per *medicamenta* appropriata inte-*
gras conservemus.

CAPUT DECIMVM.

Chirurgica præsidia monstrat.

AB illis inchoandum est quorum Natura sibi prima
 postulat remedia. Cum verò nec febrem, nec hu-
 morem putrescentem auferre valeamus, nisi sublatis illo-
 rum causis, quas effectrices absque evacuatione demere
 possibile non est, ea propter (l.) ex chirurgico fonte gene-
 rosa quæ le offerant remedia, non neglecto tamen cir-
 cumstantiarum pondere, in arcopagum producemus.
Questio verò hic incidit, *licet V. S. hoc in morbo admini-*
strare, nec ne?

Negantium partem tuctur *Helmont.* qui libr. de febri-
 bus c. 4. in Scholas Galenicorum acriter invehitur, & uti
 in omnibus febribus, ita & in tertiana intermittente phle-
 botomiam tanquam inutilem rejicit. In eundem ferè
 scopum collimant *Paulus, Aetius, Sylvius,* & alii plutes, qui
 raro in febribus intermittentibus V. S. admittendam esse
 docent. Ipse etiam Princeps Medicinæ *Galen.* non paucos
 reddi-

reddidit dubios, dum i. ad Glaucon. c. 9. ubi de curatione febris tertianæ exquisitæ agit, V. S. nullam fecit mentionem, cuius tamen postea in curatione tertianæ nothæ meminit. Unde quidam authoritate Galeni ducti, in tertiana intermitte verâ V. S. omittendam esse monuerunt. Alii verò eandem admittentes, varias subnixerunt causas, ob quas Galenus V. S. non meminerit, inter quos præprimis est *Altimarus*, qui nodum hunc soluturus, à *Galen* omissum esse V. S. præsidium scribit, tanquam notum & explicatum in universali methodo: Cum ipse *Galen*. l. II. M. M. expressis verbis scribat, saluberrimum esse in febribus venam incidere non continuis modò, verùm etiam aliis omnibus, quas putrescens humor concitat, ubi nec ætas, nec vires prohibent. Eam verò commendasse in notha propterea, quod dubitare quispiam, an in notha conveniat obmissionem humoris pituitosi, potuisset. Et quo quæsto jure notha V. S. potius requirat quam exquisita? Id sane non sit ratione pituitæ, hæc enim V. S. non postulat; Neque ratione sanguinis inflammati; cum in exquisita multò vehementius quam in notha, Massa sanguinis accensa deprehendatur. Prudentiā tamen Medici opus est, nec adeo facilem esse convenit in effundendo præiosissimo thesauro vitæ, cum sexcentas tertianas absque ulla sanguinis evacuatione curatas esse, experientiæ fide constet. Quare nî sanguis vel quantitate peccet, unde metus alicujus incendii, vel impetuosa defluxio ex magnâ & molestâ cordis irritatione ac humorum fermentatione in hanc vel illam partem timenda sit: vel qualitate, ratione scil. particularum fervidarum Sulphurearum quæ valdè urgent, febrisq; continuæ, aut inflammationis alicujus visceris periculum inferunt, non facile in usum vocandam. V. S. esse, cum doctioribus judico.

Cucurbitulæ scarificatæ tanquam V. S. vicariæ non-nunquam etiam applicari possunt, præsertim in iis qui à sensibili evacuatione sanguinis abhorrent, & quibus aliud obstaculum, V. S. dissuadens, præcordia occupat. Hæ enim tūm calorem sanguinis ventilant, tūm etiam fermentum febrile quodammodo educendo immunduant.

Frictiones quatenus poros cutis aperiunt, ad fuliginosorum excrementorum discussionem aptæ natæ sunt, unde paroxysmorum insultus mitigantur, & corpus perspirabile redditur.

CAPVT VNDECIMVM.

Pharmaciam subministrat.

VIdendum nunc quid auxiliï *pharmacia* è divite penus suo nobis promittat: Offert verò remedia tūm evacuantia, tūm alterantia. Sub evacuantibus comprehendimus vomitoria purgantia, sudorifera, & diuretica. Sub alterantibus verò, refrigerantia, attenuantia, incidentia & roborantia &c. De vomitoriis quæ valdè commendantur à Galeno, Aetio, Paulo, & aliis pluribus, primò hīc agemus. Hæc, nî alia contraindicantia adsint, in principio morbi præsertim ubi ex ventriculi vitio febres foventur, aut vitiōsi humores, tanquam producta febrilia, à sanguine per fermentationem leparati, ad ventriculum relegantur, in primis si naulea, ructus, aut anxietates præcordia urgeant methodicè usurpata, magni præsidii spem pollicentur. Juvant verò non quod ab his fermentum febrile immediate extirpetur, sed quod per accidens id fiat, quatenus partim causa febrilis occasionalis quodammodo subducitur, & ventriculus à larcina sua liberatur & expurgatur,

ut co-

ut coctio prima melius perficiatur, indeque chylus nutritius pro materia sanguinis purior suppeditetur, tum quatenus particulas acidas pituitosas, biliosas & calidas è vicinis locis copiosè exprimendo, illas vias & meatus inaniunt, ut exinde istæ particulæ è massa sanguineâ plenius elutrientur, adeoque sanguis à recrementis salis, sulphuris & bilis adusti depuretur; partim etiam, quatenus ad stimulationem unius, alterum æque primum ac vicinum unà exturbatur, vid. *Helmont. de febr. c.14. thes.3. Frier. Hoffman M.M. l.1. c.9.* ubi agit de Vomitoriis, *Thomas Willis de febr. c.3. & Piens. l.c.* Ex vomitoriorum genere scle offerunt sequentia, quæ vel die intermissionis vel quod *Piens* approbare videtur instante paroxysmo propinanda.

R. Rad.asar. subtiliter pulveris. 3*ß.*

Tartar. emet. Mynsicht. gr. ij.

elæosach. anis. gr. vj. M.f. pulvis.

R. Sal. Tartar. vomit. 3*ß*

Tartar. emetic. gumm. gutt. ppt. ana. gr. ij.

elæosach. citr. gr. v. M.f. pulv.

R. Aq. benedict. Ruland. 3*ß*

Mannæ vomit. 3*ß.*

Syrup. corallor. Q. 3*ß.*

M.f. potio.

S. Brech-Tränklein auff imahl.

R. Rad.asar. 3*ß.*

flor. genist. pij.

Sem. raphan. genistæ ana 3*j.*

Coq. c.s. q. Aq. comm. ad 3. part. consumpt.

colatur. **R.** 3*iiij.* adde

oxymel. simpl. syrup. de peto ana. 3*ß. M.*

A. Tartar. emetic. Mynsicht. gr. iij.

MP. aloetic.

ext. rad. alar. ana. gr. iiij.

Milce fiant pilulæ N. XV.

Humores verò excrementitii, vitiosi & sulphurei, ipsi incendio febrili pabulum suppeditantes, si versus inferius orificio ventriculi, intestini, mesenterium, aut alterius partis in ventre inferiori contentæ structuram hæreant, purgantibus commodius, præprimis si materia appareat fluxilis, & coctionis signa adsint, evacuati possunt: Hæc enim bilem è vasis felleis, & consequenter ex cruoris massa ubertim emulgent, & proritando exprimunt. Cendum tamen sedulò, ne cathartica nimis vehementia & calida in auxilium vocemus, qualia sunt diagrydiata, quæ propter vehementem calorem bilem movent, & sic ægrotantem facillimè in febrem continuam præcipitem dare possunt, hinc rectè Averrhoes 7. colleg. XI. usum scammonii prohibet, quia, quantumvis rectè corrigatur, tamen partibus principibus nocet, vires debilitat, febremque calorem & siccitatem auget. Ipsum rhabarbarum, in substantia assumptum, quibusdam etiam in febribus à bile oriundis, suspectum audit, quia partes ejus igneæ, aëreæ, Sulphureæ, sanguini commissæ, massam cruoris subtilisando, atque particulas ad fermentationem proclives variè expandendo, adhuc tumultuosiores reddunt. Arbitror tamen non adeò magnum periculum hinc extimescendum esse, vel facile, si in infuso propinetur, evitari posse. Blandiora itaque Cathartica, quæ in principio & die intermissionis usurpari tutò possunt, suggenda veniunt, quorum formulas nonnullas in exemplu adducimus.

R. Deco^t. tamarind. & rad. cichor. c. lero. lact. $\frac{3}{ij}$ β
 extract. rhabarb. $\beta\beta$. Specier. diaLENæ Montagn. $\frac{3}{j}$.
 pulv. febrif. Mynsicht. $\frac{3}{\beta}$. crem. Tarrar. βj .
 Syrup. de cichor. cum rhabarb. $\frac{3}{j}$. M. f. potio.

R. Rad. asar. $\frac{3}{ij}$. petrosel. cichor. ana $\frac{3}{\beta}$.
 herb. card. bened. pilosell. scabios. ana. M β .
 flor. centaur. minor. pij. borrag. bugloss. ana p j .
 fol. senæ s. st. $\frac{3}{ij}$. rhabarb. elec^t. $\frac{3}{j}\beta$.
 Tartar. crud. $\frac{3}{j}$.

Infunde per noctem in s. q. feri lact. caprin. manè ebulli-
 ant parum, colat. **R.** $\frac{3}{iiij}$ adde
 Syrup. de cichor. c. rheo $\frac{3}{j}$, vel rofar. vel violat. solutiv. q. f.
 Misce pro potionc.

R. Conserv. rofar. de fumar. ana $\frac{3}{j}$.
 pulpæ tamarind. $\frac{3}{\beta}$. extract. rhabarb. $\beta\beta$.
 pulv. Comitis de Harvvich βij .
 crem. Tattar. gr. viij. ol. cinam. gtt. ij.
 M. S. Purgirender Rosen- Zucker auff imahl.
R. Syrup. rofar. solutiv. de cichor. c. rhabarb. an. $\frac{3}{\beta}$.
 pulv. vegetab. laxativ. Rofinc. gr. XV.
 febrifug. Sennert. $\beta iiij$.

elæosach. fœnic. gr. vj. M. S. Purgirender Saff.
Quid autem si materia peccans adeò sit tenax ac viscida,
 ut nulli cedat purganti? Tunc talia quæ humores attenu-
 ant, atque fluxiles reddunt, præmitti debent, in quem
 finem.

R. Radic. cichor. taraxic. ana $\frac{3}{vj}$.
 herb. chamœmel. capill. vener. hepatic. nob. ana Mj.
 hyssop. flor. 4. cord. ana. p. j. sem. 4. frigid. major,
 ana $\frac{3}{\beta}$,
 ex incisis & mixtis fiat coctio.

Colatur. Rx. 3jx, adde

syrup. acetos. f. oxymel. simpl. ana 3j.
spir. vitriol. gtt. xx.

M.f. Decoct. pro 3. dosibus.

Rx. Aq. plantag. cichor. ana. 3iiij.

syrup. acetos. acetofell. ana. 3j.

Spiritus aperit. Penot. 3jß.

succi citr. ribes ana 3ii.

M.f. præparare de Julep.

Clysteres ut in omnibus febribus maximè commendantur, ita & in tertianis intermittentibus laude sua non carrent, licet ab ægris plerumque ægrè admittantur.

Rx. Rad. alth. malv. lil. albor. ana. 3ß.

herb. 5. aperient. centaur. minor. scord.

flor. rap. barbat. chamœmel. ana. M. ß.

sem. lin. 3ijj. foen. græc. 3ij. carui, foenic. ana. 3ß.

Coq. in f. q. aq. simpl.

Colat. Rx. 1b. j. in qua dissolv.

cassia pro clyster. mellis violat. ana 3j.

elect. diacathol. 3ß. vitell. ovor. N. i..

M.f. Clyster.

Diuretica etiam commodè in usum vocari possunt; hæc enim non solum humores excretioni aptos reddunt, & ad attenuationem, atque fermenti febrilis pet urinas expulsionem aliquid faciunt, sed & sanguinem fundendo, & via materiam morbificam veluti præcipitando secernunt, abstensivam reddunt, Naturamq; ac viarum organa ad excretionem extimulant, vid. Galen. 5. simpl. 22.

Rx. Rad. gram. petrosel. capill. vener. asparag. ana. 3j.

plantag. acetos. ana. 3ß.

herb. absinth. melilot. ana. M. Capill. vener. Mj.

Coq. in l.q. seri lactis, propinetur cyathus unus, dilutus
syrupo de duabus radicibus 3j.

Spirit. vitriol. gtt. iiiij. l.q. f.

Rx. Sem. 4. frigid. major. ana 3j. f.

violar. urtic. ana 3j. citr. exc. 3j.

F. l. a. Emulsio cum aq. gramin. petrosel. & fragor.

l. q. adde ocul. 69. præp. 3j.

M. detur ad vitrum.

S. Urin treibende Mixtur auff 2 mahl.

Sudorifera quantum hic valeant, vel Natura ipsa nos informare videtur, quæ sponte sua in fine paroxysmi in dia-phoresin terminatur, quapropter Medicus Naturæ minister eam quoq; imitari debet: Adhibeat vero talia, quæ fermentum febrile corrigendi, istudq; per sudorem expellendi, vim habeant.

Rx. Aq. Card. bened. flor. sambuc. ana. 3j. f.

theriac. simpl. 3vj. specier. febrif. croll. 3j.

Spiritus Sulphur. per campan. gtt. vj.

M. S. Urin treibende Mixtur.

Rx. Aq. centaur. min. 3ij. f. Sal. card. bened. 3f.

ocul. 69. ppt. gr. 3j.

syrup. decard. bened. 3f. M. F. potio.

Rx. Antimon. diaphor. 3f. pulv. panon. 3j

Sal. card. benedict. fumar. ana. gr. v.

volat. *ci. C. C. ana. gr. iij.

M. detur ad chartam. S. Schwipulver.

Rx. C. C. philos. ppt. 3f. ocul. 69. ppt. 3j.

Sal. card. bened. absinth. ana. gr. v. prunell. gr. iiij.

M. f. pulvis.

Rx. Essent.

R. Essent. sudoris. Excell. Dni D. Strausii ʒij.
Spiritus theriacal. ʒj. Antim. diaphor. gr. v.
Aq. fl. sambuc. ʒij. cinam. ʒj
Julep. rosat. q. l. Misce.

R. arcan. duplic. Mynsicht. ʒj.

Sal. absinth. ʒʒ.

laud. opiat. gr. j.

M, detur ante paroxysmum in vino absinth.

Pertinet etiam huc potio febrifuga Crollii, quam deprædicat River. cent. 1. observ. 22. & 26. centur. 4. observ. 2. 12. & 25.

Nec alterantia minoris volunt haberi æstimationis dum enim refrigerando calorem febrilem imminuunt, sanguinis fermentationem, ejusque effervescentiam impediunt,

R. aq. acetosell. borrag. bugloss. ana. ʒij.

syrup. acetosell. citr. berber. flor. rhæad. ana. ʒʒ.

succi citr. recenter expressi ʒj. Misce F. Julep.

R. aq. cord. frigid. H, S. ʒij. rosat. ʒj. flor. 4. cord. ʒj.

Spiritus Sal. *c. ʒj.

syrup. acetosell. q. l. ad gratiam. M. F. Julep.

Pro confortatione.

R. Essent. absinth. card. bened. centaur. min. ana. ʒʒ.

elix. propr. ʒj. Spiritus Sal. *c. ʒj.

M.S. Starckende Magen. Essents des Tages zweymahl.
dol. gtt. IX.

Succus

Succus absinthii etiam egregie prodest ad 3i. vel ij, iiij, iiiij
vino calido exhibitus vid. Ruland. in thesaur.

Pilulæ sequentes quoq; maximè commendantur.

R. extr. absinth. centaur. minor. gentian. theriac. ana. gr. v.
olei destill. caryophyll. gtt. j. vel ij.

M. f. pilulæ N. XX. assumentur ante paroxysm.

vel R. extr. gent. centaur. min. fumar. card. bened. ana. 3f.
flor. Sal. *c. gr. iiij. c. elix. propr. Paracell. incompl.

F. l. a. pilul. N. 40.

S. Fieber-Pillen auff zmahl.

A nonnullis etiam magni habetur *cortex peruvianus*, *Chi-
na Chinæ dictus*, qui pulverisatus, & vino infusus, bis ve-
ter ante paroxysmum assumi jubetur, hæc tamen cum
cautela, ut æger post ejus usum denuò purgetur. Si febres
intermittentes fuerint malignæ, tunc alexipharmacæ; sin
scorbuticæ, antiscorbutica intermiscenta sunt, sin autem
fuerint chronicæ, viscerum habenda venit ratio, probe-
que Medicus, an æger sit spleneticus, an verò hypochondriacus? considerare debet.

Externa etiam pro varia Medici intentione adhiberi possunt. Si respiratio difficilis adsit, hysterica vel hy-
pochondriaca passio &c. tunc pro earum levamine con-
veniunt linimenta, item emplastrum de tacamahaca ma-
xatum c. ol. tuccini, vel de ladano Craton. c. balsamo
peruviano inunctum. Commendatur pariter emplastr.
Strobelbergeri ex terebinthina, araneis vivis, telis ara-
nearum, & Sale *co paratum, atque pulsibus applicatum.
Ad restringendum *calorem* febrilem nonnulli adhibent
plantis pedum radic. raphani contusi cum modico aceto,
Sale, & s. q. fermenti. *Cordi* admovent, si calor urgeat, epi-
hemata ex aqua rosar. acetos. bugloss. &c. cum specie-
bus pro epithemate cordis temperatis, quibus si neces-

sum fuerit, acetum rosaceum, camphora, aliaque addi possunt. Empirica remedia similiter nonnunquam in usum vocantur. Huc pertinent etiam amuleta: Rx. Theriac 3ʒ. camphor. gr. vij. pulv. fol. diptamn. alb. rad. carlin. ana gr. iv. extr. croc. gr. iiij.

M. includantur facculo, qui de collo suspendatur. Plura de amuletis videantur apud Herman. Grube com. ment. de arcan. Med. non arcanis, c. 3. sectione 1. p. 52. & seq.

CAPUT DODECIMVM.

Diætam ordinat.

TAndem etiam accurata viætus ratio hâc in febri observanda venit; sæpe enim solo illius moderamine febricitantes curati fuere. Sit itaque *cibus* tenuis, refrigerans, humectans, atque *lubet*, nec æger plus assurrit, quam Naturæ ejus convenit, & vires ferunt; Fames enim hujus ægritudinis optimum est remedium, & à vietu parciore febrilis accessio ultra tempus consuetum sæpè proterrat, inquit *Piens l. c.* Exhibendus autem est extra patroxysmum, nisi virium ratio, spirituum dissolutio, & imminentis syncope contrarium suadeant, ut habet *Galen. 10. M. M. c. 5.* Abstineatur à dulcibus, Salsis, acribus, & pinguis, que facillimè in bilem degenerant, majoremque fermentationem languini conciliant.

Potus sit cerevisia tenuis, cui C. C. ustum indi vel aliquot guttulæ Spiritus vitriol. vel Salis affundi possunt. Aqua hordei parata cum refrigerantibus commendatur. *Vinum*, materiâ concoctâ, non est improbandum, sit tamen tense, aquosum &c. de quo videatur. *Tirellus l. 2. Histor. vini & febr. c. 30.*

Aér sit temperatus, purus; sin vero caliginosus, crat su

Ius aut nebulosus fuerit, arte corrigatur.

Somnus qui sanguinis fervorem temperat, longior concedatur. Vigiliae vero crebriores, cum sanguinis motum concitatiorem reddant, particulaque in M. S. fermentationi aptas magis mobiles reddant, nocent, adeoque emulsionibus hypnoticis somnus conciliandus tunc venit.

Alvus sit aperta: sin munere suo non ritè fungatur, Clystere aut suppositorio emolliatur.

Quies præ motu eligatur, quo continuata diaphoresi corpus in expulsione miasmatis febrilis non impediatur.

Animi pathemata quantum in corpus nostrum valent, in recensione causarum delineavimus, quapropter ulteriori supercedentes labore auream ubique mediocritatem obliervandam commendamus, sicque tandem Deo Ter Optimo Maximo immensas pro sua gratia gratias agentes, huic exercitio coronidem imponimus.

C O R O L L A R I A.

I.

Dubium est inter Philosophos, anne forma sit nobilior composito.

II.

Sunt qui statuunt Medicinam esse partem Anthropologiae, sed falsum.

III.

Sententia Fabri vera non est, ubi statuit molam fieri a solo semine muliebri per insemina ad uerum delato.


IV.

Ut pullus generatur ex ovo Gallinae, ita, juxta Harveum homo ex ovo humano.

Salia non agunt, nisi resoluta.

Succum pancreaticum cum bile excrementitia commixtum effervescentiam efficere credibile non est.

Vi societates cerevisiae inter hostes bona valetudinis referuntur: ita & usus fumi Tabacini noxius judicatur.



Quemlibet Fortunæ suæ esse Fabrum, vel Tuo,
CLARISSIME SCHMIDI, comprobas exemplo. Postquam in Officinam literariam superiorem produisti, egregiè prius deposito in Ludo Illustri tirocinio, quām sedulum in poliendo Ingenio, quām industrium in limando Mentis acumine, quām impigram in levigando Intellectu, uno verbo, quām vigilantem in fabricanda Tua Fortuna TE gesleris, norunt Mecum, omnes, quorum lateribus & in Patria, & in Alieno solo adhæsisti individualibus comes, loquuntur substellia, testantur Cathedræ, fatentur Auditoria. Quæ fabrica, quod ve opus hinc exurget, nunc experieris. De Optima, quam TIBI fabricasti fortuna & Summis, quos haetenus unice in votis habuisti Honoribus noli dubitare. Talem namque operam tale opus consequitur. Gratulor hinc de feliciter superatis laboribus Academicis, & gradu qui sudore acquisitus TE expectat, utque deinceps florentissimam ac opulentissimam etiam in Praxi, nec non futura Familia TIBI fabrices Fortunam serio & ex animo appreco.

MICHAEL Heiland D.
Prof. Ordinat. & p.t. Rector,